

Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Festum Paschale Religiose Sancteque Celebrandum Ciuibus Indicunt Praemissa Particula Septima Commentationis Qua Via Et Ratio Doctrinae Euangelicae De Satisfactione Vicaria Iustitiae Diuinae A Christo Pro Hominibus Praestita Recte Probandae Breuiter Delineatur

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzii, [1780]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1831116987>

Druck Freier  Zugang





zfb ME
05. Aug. 1999

● entsäuert

Mkl h
34 97



Mecklenburgische
Landesbibliothek
Schwerin





RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUETZOVIENSIS
FESTUM
PASCHALE
RELIGIOSE SANCTEQUE CELEBRANDUM
CIVIBUS INDICUNT
PRAEMISSA
PARTICULA SEPTIMA COMMENTATIONIS
QUA VIA ET RATIO
DOCTRINAE EUANGELICAE
DE
SATISFACTIONE VICARIA IUSTITIAE DIUINAE
A CHRISTO PRO HOMINIBUS PRAESTITA
RECTE PROBANDAE
BREUITER DELINEATUR



BUETZOVII
TYPIS IOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVQ. AVL.
ET ACADEM. TYPOGR.

1780.

Mxle h
3497

Mecklenburgische
Landesbibliothek
Schwerin

Ko





Quum partium nostrarum sit, Vobis, Cives Carissimi, hoc scripto publico non modo indicere festum Paschatis sancte celebrandum, sed etiam ea meditanda proponere, quibus excitari atque instrui possitis ad recolendam pia grataque mente memoriam resurrectionis Jesu Christi exoptatissimi Seruatoris, qui supplicio mortis traditus fuit ob delicta nostra, sed e mortuis suscitatus propter iustificationem nostram Rom. 4, 25: huic nostro officio satis conuenienter agere arbitramur, quod commentationem nostram de satisfactione a Christo praestita sex Programmatibus Vobis propositam continuamus, eiusque *particulam septimam* tanquam materiam meditationis admodum salutaris Vobis suppeditamus.

Postquam exposueramus, quam varios quamque salutaris fructus morti reliquisque perpeccionibus Christi Scriptura S. diferte tribuat: coepimus Programme proxime praegresso, ex ordine, cuius rationem suo loco docuimus, disquisitionem gra-

uisissimam instituere, quoniam *nexus*, quo cum morte & afflictionibus Christi fructus illi salutare cohaereant, secundum oracula diuina cogitandus ac pro vero habendus sit. Vt eo rectius in hac inuestigatione tanti momenti procederemus, varias praemonitiones Programmatae superiori attulimus, inter quas haec erat postrema, vtile esse, vt ante demonstrationem nostrae doctrinae de illo *nexu* ex oraculis diuinis recte explicatis cognitum habeamus, ita vt menti nostrae deinde obuersetur, quid *Socinus* eiusque asectae, qui inter aduersarios nostrae doctrinae eminent, de hoc religionis christianae capite sentiant, & *quam connexionem* afflictionum mortisque Christi cum iustificatione nostra & salute ipsi pro vera habeant. Quae eorum opinioniones, quum in fine Programmatum praegressi tantummodo breuissimè, nec satis luculenter exponi potuerint, hic paulo dilucidius, sed tamen summatim explicandae sunt.

En igitur breuem *systematis Sociniani quoad hoc religionis caput descriptionem*, quod his potissimum sententiis absoluitur:

1) Homines non tantum morti obnoxii sunt; sed ne viam quidem, qua eam effugiant, & quae ad immortalitatem certo ducat, per se ipsi inuenire potuerunt; quare haec via a DEO in Scriptura S. patefacta est.

2) Homo *duplici* de causa morti est obnoxius. *Prior* est, quod ab initio homo mortalis creatus fuit, id est, talis, qui non solum natura sua mori potuerit, sed etiam, si naturae suae relinqueretur, non potuerit non mori; licet diuino beneficio semper in vita conseruari posset.

3) *Alter* vero causa haec est, quod primus homo apertum DEI mandatum, cui adiuncta fuit mortis comminatio, transgressus fuerit. Vnde porro factum est, vt vniuersam suam posteritatem secum in eadem mortis iura traxerit; accedente tamen cuiusuis in adultioribus proprio delicto, cuius deinde vis per apertam DEI legem, quam homines transgressi fuerant, aucta

aucta est: quemadmodum ex collatione Christi cum Adamo, quam Apostolus Rom. 5. persequitur, vna cum eo, quod de vi legis in augendo delicto subiungit, perspicui potest.

4) Viam, qua mortem effugeremus, & quae ad immortalitatem certo duceret, nos homines per nos ipsi inuenire non potuimus; quia & tantum praemium & certa illud consequendi ratio ex solo DEI arbitrio & consilio pependit; DEI autem consilia & decreta ipso non reuelante quis hominum indagare ac certo cognoscere potest? tanto autem minus cognosci possunt, quanto magis ab hominis animalis cognitione disident, qualia ista esse, quae ad nostram salutem spectant, Apostolus docet I Cor. 2.

5) Ista via, quae igitur a DEO erat patefacienda, est *cognitio DEI & Christi*. Joh. 17, 3. attamen ea, quae non sit nuda & in sola speculatione consistens notitia, sed cum suo effectu, hoc est, vita illi conformi ac conueniente coniuncta.

6) *Cognitio DEI* absoluitur cognitione *naturae & voluntatis ipsius*.

7) Quae de *natura* illius sunt cognoscenda, ea sunt *duplicitia*; *primum genus* est eorum; quae ad salutem sunt necessaria, qualia sunt, quod DEVS sit, quod sit tantum vnus, quod aeternus, quod perfecte iustus, perfecte sapiens, perfecte potens; *alterum genus* est eorum, quorum *cognitio* ad salutem vehementer conducit; quorum *praecipuum* est, ne in communem errorem incidamus, quo *manifesta contradictione vnam quidem DEO essentiam esse & tamen non vnam, sed tres illius esse personas* statuitur.

Quod *speciatim ad iustitiam* DEI attinet, eius vera notio haec est: DEVS reuerentiam in omnibus actionibus sequitur, ab omni autem prauitate, adeoque ab iniuria quauis est alienissimus. Huius *iustitiae pars* est *veritas ac fides*. *Iustus* est DEVS *etiam*, quando peccata punit; sed *talis iustitia*, cuius proprium sit *nullum peccatum non punire, non inest DEO natura-*

raliter, quod multi opinantur; *vti nec talis misericordia*, cuius proprium sit peccata remittere & non punire. Quum constet, DEVM remittere peccata & punire, quando velit, apparet, DEO misericordiam, quae parcere, & iustitiam, quae punire & perdere iubeat, ita inesse, vt vtramque insita naturae suae sapientia, bonitate, sanctitate & voluntate moderetur. *Iustitiam*, quae *misericae* opponitur, & in *poenis ab ira profectis* cernitur, non solent s. litterae iustitiae nomine insignire, sed eam *seueritatem, iram & furorem* DEI appellant. Imo, *iustitiae DEI* in scripturis hoc attribuitur, quum DEVS *peccata condonat* 1 Joh. 1, 9. Rom. 3, 25. 26. & in Psalmis saepe.

8) Quae de *voluntate DEI* cognoscenda sunt, & quorum cognitio ad Christianam religionem pertinet, eorum *quaedam* etiam *ante Christum* cognita fuerunt, *quaedam per Christum demum reuelata*. *Priora partim* fuerunt *ante legem* hominibus cognita, *partim per legem tradita* (1) *Illa* sunt haec *tria*: *primum* creatio coeli & terrae, & omnium, quae in eis sunt, *deinde* *providentia* de singulis rebus, & inprimis hominibus, *postremo remuneratio* eorum, qui ipsum quaerunt, hoc est, eidem parent, ac porro etiam *punitio* eorum, qui ei obtemperare nolunt. In hoc vero *tertio membro* comprehenditur *cognitio quaedam eorum*, quae *DEO grata sunt*, & quorum obseruatione ipsi obeditur; quorum olim & ante legem cognitorum nullum in ipsa lege Mosis fuisse praetermissum consentaneum est. 2) *per legem* autem *tradita* sunt ea, quae *lege morali*, ac inprimis decalogo, continentur.

9) Quoniam *quaedam de voluntate DEI per Christum demum reuelata* sunt (num. 8.) & ad viam salutis *cognitio Christi* tanquam *altera pars* referenda est (num. 5.) atque haec *duo momenta* continet; quorum *unum* ad *personam*, *alterum* ad *munus Christi* spectat: haec duo a nobis recte cognoscenda sunt.

10) Quod ad *personam Christi* attinet: hic est *verus homo*, olim quidem, quum in terris viueret, mortalis, nunc vero immor-

immortalis. At vero, licet is natura sit homo, *minime* tamen est purus & vulgaris homo, sed simul est unigenitus DEI filius, (1) quia conceptus e Spiritu S. & virgine natus nullum alium patrem hactenus praeter DEVM. habuit. (2) quia a Patre sanctificatus, hoc est, a ceteris cunctis hominibus singularissima ratione segregatus, & praeter perfectam vitae sanctitatem, diuina sapientia ac potentia instructus ad legationem inter homines summa cum auctoritate obeundam a Patre fuit adhibitus. (3) quod a DEO ex mortuis fuit resuscitatus, & sic de nouo veluti genitus, praesertim, quum hac via immortalitate DEO similis euaserit. (4) quia etiam imperio ac suprema in omnia potestate similis imo aequalis est effectus. Sed si naturae s. substantiae nomine ipsa DEI essentia intelligitur, non est agnoscenda hoc sensu diuina in Christo natura.

11) Alterum, quod de Christo scire debemus, est eius munus, quo is est propheta seu mediator noui foederis, summus Sacerdos, denique Rex noster.

12) Munus Christi propheticum in eo constitit, quod nobis absconditam voluntatem DEI perfecte manifestarit, confirmauerit, & sanxerit.

13) Voluntas DEI per Jesum patefacta est ea, quae continetur nouo foedere, quod cum genere humano DEVS per hunc mediatorem pepigit. Hebr. 8, 6. 1 Tim. 2, 5.

14) Hoc foedus comprehendit tum praecepta, tum promissa DEI perfecta, tum denique modum & rationem, qua nos & praeceptis & promissionibus DEI conformare debeamus; quae & ipsa DEI praeceptum est, & simul ad DEI promissiones respicit.

15) Quod attinet ad praecepta DEI perfecta in nouo foedere comprehensa, pars eorum continetur in praeceptis a Mose traditis, & moralibus quidem, tum generalibus Deut. 6, 5. Leu. 19, 18. Matth. 22, 37-40. tum specialibus decalogo comprehensis. (ea enim, quae ad ceremonias & ad iudicia forensia pertinent,

tinent, a Christo sunt abolita) vna cum iis, quae sunt illis per Christum eiusque Apostolos addita; pars vero continetur in iis, quae sunt peculiariter ab eodem Christo eiusque Apostolis praefcripta.

16) Haec a Christo separatim tradita praecipua ad duas classes sunt referenda. (1) quaedam enim mores respiciunt; quorum triplex est genus; nam quaedam ad religionem ac devotionem animi spectant, quaedam ad mundi contemptum, quaedam denique ad animi constantiam ac patientiam. Primi generis sunt haec tria 1 Thefl. 5, 17. 18. *semper gaudete, sine intermissione orate, in omni* (sc. tempore vel re) *gratias agite.* Secundi generis sunt, quae breuiter complexus est Johannes 1 Ep. c. 2, 15. 16, *ne ametis mundum, neque ea, quae in mundo sunt, --- concupiscentiam carnis, oculorum, & fastum vitae ---* Tertii generis sunt, quorum summa continetur his Christi verbis: *si quis velit vestigia mea premere, is abneget se ipsum, & suscipiat crucem suam, & me sequatur.* Matth. 16, 24. Haec praecipua omnia mores respiciunt, sequuntur (2) quae externos actus religiosos, qui vulgo *ceremoniae* vocantur, spectant. Haec sunt tum illud de *baptismo aquae*, ritu initiationis, quo homines ecclesiae Christi inseruntur, non autem, vt multi putant, regenerantur, tum istud institutum, vt credentes *panem simul frangant & comedant, & ex calice bibant Christi commemorandi*, seu, *mortem eius annuntiandi causa.* Quod autem Christus *potissimum mortis suae cruentae memoriam* in ecclesia sua celebrari voluit, eius ratio haec est, quod ex omnibus Christi actionibus, quas salutis nostrae causa suscepit, ea fuit omnium difficillima, & maximum ipsius erga nos amoris argumentum, eique maxime propria; nam e mortuis resuscitatio & exaltatio Christi sunt ea DEI Patris opera, non ipsius Christi. Hunc vero ritum ideo esse institutum, vt vsu ipsius consequamur peccatorum remissionem & fidei confirmationem, non est putandum. *Tres istae sententiae, tum panem in corpus, vinum*
in

in sanguinem Christi re ipsa mutari, *tum* corpus Domini in, sub, & cum pane esse, *tum* in coena Domini vere, quanquam spiritaliter, corporis & sanguinis Christi participes nos fieri, opinioniones sunt fallaces omnes & erroneae.

17) Quod ad *promissa Christi perfecta* attinet (cf. num. 14.) eorum (1) maximum est *vita aeterna* (i. e. non modo nullo tempore finienda, sed etiam plenissima gaudii ac voluptatis prorsus diuinae in ipsis coelis cum DEO & Christo beatisque angelis agenda) & in ea simul comprehensa *peccatorum remissio*, & quidem *omnium*, id est, gratuita liberatio a reatu ac poenis peccatorum tum temporalibus, tum maxime aeternis. *Illius vitae aeternae nulla in lege Moysis extitit promissio*, si quidem promissionis nomine, vti par est, *apertam aliquam diuinae voluntatis declarationem* intelligas, ob quam quis bonum sibi destinatum *certo iure sperare* possit. Ea *per Christum demum* nobis est *patefacta* 2 Tim. 1, 10. Hebr. 7, 19. 8, 6. Neque tamen negandum *aliquam vitae aeternae spem ante Christum* fuisse; nihil enim obstat sperare quidpiam, etiamsi promisso DEI careas, modo ea res sit *summopere expetenda*, & eiusmodi, quam *credibile* sit DEVM cultoribus suis daturum. Et, *qui ita eam sperarunt*, si modo *ex animo DEVM coluerunt*, & *dicto audientes* ei fuere, *habaturi sunt vitam aeternam*; non enim obstat quicquam, quo minus plus praestet, quam promiserit, DEVS. Tam excellens autem *promissum distulerat* DEVS in aduentum promissi seruatoris, Christi, vt tanto euidentius appareat omnibus, tam excellens bonum ex solo ipsius beneplacito & mera liberalitate profluere. In *novo foedere* *habet quidem pietas promissionem* non *futurae* solum, sed etiam *praesentis vitae*, quoad ea, quae ad hanc vitam tuendam necessario requiruntur. Sed in *antiquo foedere*, in quo vita aeterna non fuit aperte promissa, etiam *diuitiae*, & *affluentes voluptates*, & *honores ac dignitates* legem obseruantibus erant sperandae. (2) Sed superest *aliud Christi promissum* ad prius istud obtinendum vehementer vtile,

b

nempe

nempe *donum Spiritus S.* id est, efficaciae a DEO in homines manantis iisque communicatae, quae eos ab aliis segregat, & suis vsibus consecrat. Hoc *donum* est *duplex*, *alterum ad tempus concessum & adspectabile*, quod est eiusmodi vis diuina, quae aut in iis, quibus dabatur, aut per eos, res admirabiles & cursum naturae plane superantes efficiebat; quod *donum* ab initio iis, qui in Christum crediderunt, tributum fuit; *alterum inuisibile*, & quod *perpetuo* inter Christianos locum habet, est eiusmodi DEI afflatus, quo animi Euangelio credentium *vel* vberiore rerum diuinarum notitia, *vel* spe vitae aeternae certiore, atque adeo gaudio ac gustu quodam futurae felicitatis, aut singulari ardore, complentur; quo igitur promissio vitae aeternae exterius per Euangelium proposita interius a DEO in animis credentium *obsignatur*. *Praeter hoc promissum peculiare Spiritus S. donum* est *alius Spiritus*, qui ex agnito Christi Euangelio & per fidem suscepto, in quo paterna illa & immensa DEI erga humanum genus gratia annunciat, *in animis omnium credentium oritur*, quo *spiritu omnes regi & carnis opera mortificare* debent. Hoc *Spiritu filiali*, qui isti seruili opponitur, quem legis disciplina inspirabat, Euangelium homines implet, & ad filialem DEO praestandam obedientiam incitatos viribusque instructos vitae aeternae asserit, *cui spiritui quum peculiare illud donum coelitus affunditur & accedit*, nihil est, quod ad perficiendum in hoc seculo hominem Christianum desit.

18) Haec ad *diuinam voluntatem* nobis reuelandam pertinentia *tum praecepta tum promissa* (num. 14 - 17.) *Christus* non modo patefecit, sed etiam *ipse tribus rebus confirmavit*, *tum absoluta vitae innocencia*, *tum miraculis* admodum magnis & innumeris, *tum morte*, & eiusmodi quidem, quam *variae afflictiones* praecesserant, & quae *per se fuit dirissima & ignominiosissima*.

19) Quod ad *causas* attinet, *cur necesse fuerit Christum tot acerba pati & tam atrocem mortem subire*: (1) DEI consilio & *volun-*

voluntate *Christus pro peccatis nostris passus est, & mortem cruentam tanquam victima piacularis subiit.* Cuius diuini consilii ratio haec erat, *primo, vt omnibus peccatoribus hac ratione remissionis peccatorum ipsiusque adeo vitae aeternae ius certissimum fieret* (i. e. vt Sociniani intelligunt, tam certum firmumque ea promissa sperandi fundamentum, quo niti ius fas sit) proinde etiam *non dubia fides.* Rom. 8, 22. 5, 8. 9. 10. *Secundo, vt omnes peccatores ad Christum traherentur in hoc & per hunc solum remissionem peccatorum quaerentes, qui pro iis* (i. e. in ipsorum commodum & salutem) *esset mortuus.* *Tertio, vt hac ratione DEVS suum amorem immensum humano generi testaretur, illudque sibi* (non se illi, quomodo distinguunt Sociniani) *penitus reconciliaret* Joh. 3, 16. (2) Christo afflictiones istae & mors perferendae erant, *quia seruandi ab ipso, id est, credentes, iisdem afflictionibus & morti eiusmodi plerumque sunt obnoxii.* Quae causa sic explicanda est. Christus *duplici ratione nos seruat; primum enim & certam nobis salutis spem facit, & vt salutis viam tum ingrediamur, tum in ea persistamus, nos mouet; deinde nobis in omni tentationum, laborum & periculorum certamine adest, opitulatur, & tandem ab ipsa aeterna morte liberat.* Ad *utramque* hanc seruandi nos rationem vehementer *pertrahit*, vt Christus Dux noster non aliter, quam per eiusmodi perpeffiones & mortem ad vitam & gloriam aeternam penetraret. Ad *priorem* quidem, quod in ipso videamus, viae istius, quae ad interitum ducere videbatur, adeo beatum esse exitum, vnde fit, vt summa cum alacritate Duce[m] nostrum sequuti viam hanc ingrediamur, in eaque persistamus, haud dubia spe, eundem nos etiam manere exitum. 1 Petr. 2, 21. Hebr. 2, 10. Ad *posterio[re]m* vero, quod ipsemet, quam graues & humanae naturae per se intolerabiles eiusmodi tentationes essent, in se ipso expertus, *nec miseriarum ignarus, miseris succurrere didicerit.* Hebr. 2, 17. 18. 4, 15. 5, 8.

20) Sed, si quaeras, *quomodo sanguis aut mors Christi nobis*

b 2

nobis *voluntatem DEI confirmauerit* (cf. num. 18.) *duplici* id ratione factum est. (1) quod *Christus ab asserenda sua doctrina ne acerbissima quidem morte deterreri se passus est; nominatim vero, quod nouum foedus sanguine suo sanxit, nouumque testamentum morte sua ratum fecit* Hebr. 13, 20. 12, 24. Apoc. 1, 5. 3, 14. (2) quod *per mortem peruenit ad resurrectionem, ex qua maxima oritur diuinae voluntatis confirmatio, deque nostra resurrectione & vitae aeternae adeptione certissima persuasio; primum enim in exemplo Christi propositum esse nobis spectamus, quod in Christi doctrina promissum est, eos, qui DEO obtemperent, a quouis mortis, quantumuis atrocis, genere liberari. Deinde, quum Christus ita resurrexerit, vt supremam in omnia potestatem fuerit adeptus, omnis de salute nostra dubitandi causa sublata est. Atque hoc duplici ratione; primum, quod iam videamus quoddam principium impletae a DEO promissionis, praesertim, quum DEVS nominatim promiserit, ipsum Christum nos a morte liberaturum, & daturum nobis vitam aeternam; deinde, quod videamus implendae promissionis diuinae nobis factae potestatem esse in manu huius, quem non pudet fratres appellare, & qui tantopere nos, adhuc impios atque inimicos suos, dilexit, vt salutis nostrae sempiternae causa mortem tam acerbam tamque infamem subiret, quique afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, si ei parere velimus, in se expertus est, eoque potest nostri misereri. Quomodo enim is salutem nostram in manu sua habens eam nobis non largiretur, praesertim, quum id summa cum ipsius & patris eius gloria coniunctum sit.*

21) Jam vero, quum hac ratione *plus in resurrectione Christi, quam in ipsius morte ad salutem nostram comparandam situm esse fatendum sit, cf. 1 Cor. 15, 17. Rom. 4, 25. 8, 34. quaerat aliquis, cur ita crebro ea, quae ad salutem nostram pertinent, morti Christi attribuat Scriptura. Hoc fit propterea, quod (1) ipsa per se Christi filii DEI mors, quae resurre-*

urrectione animata & efficacissima in salutis nostrae negotio effecta est, *eximiam* prorsus & singularem *vim* habet in comparanda nobis salute, vt supra ostensum est; (2) quod *via* fuit ad resurrectionem & exaltationem Christi (3) quod *ex omnibus*, quae DEVS & Christus nostrae salutis causa fecit, *mors Christi* opus fuit maxime arduum, & amoris DEI & Christi euidentissimum argumentum.

22) Haec est vera mortis Christi efficacia (num. 19 - 21.) sed ista *vulgaris sententia* Christum esse mortuum, vt salutem nostram mereretur, & peccatorum nostrorum debita dissolueret, si hae phrasae proprie intelligantur, tum *fallax* est & *erronea*, tum *admodum perniciofa*, siquidem, qui ita sentiunt, id sibi volunt, Christum aequiuales pro peccatis nostris poenas persoluisse, & obedientiae suae pretio inobedientiam nostram exacte compensasse: alioquin dubium nullum est, quin Christus ita DEO satisfecerit obedientia sua, vt vniuersam eius voluntatem compleuerit, & omnibus in se credentibus obedientia sua remissionem peccatorum & salutem aeternam, ex gratia DEI, pepererit.

23) Ista vulgaris sententia (1) *fallax* est & *erronea*. Nam a) *primum nihil de ea exstat in Scripturis*. Affertores istius opinionis ad eam probandam *nunquam perspicuas scripturas* afferunt, sed *quasdam consecutiones neclunt*, quibus, quod asserunt, efficere conantur. Verum, *praeterquam*, quod res eiusmodi, in qua ipsi salutis cardinem versari putant, non consequentiis tantum, sed apertis scripturae testimoniis demonstrari omnino deberet, *consequentiis istae nullam vim habent*; alioquin enim *consequentiis*, quae ex scripturis necessario adstruuntur, admittendae sunt. Scripturae, e quibus isti opinionem vulgarem adstruere conantur, sunt eae, quae testantur a) Christum pro nobis, b) & pro peccatis nostris mortuum esse, c) peccata nostra tulisse, d) nos redemisse, aut dedisse semetipsum, aut animam suam, redemptionem pro multis, e) nostrum *mediatorem*

torem esse, 5) nos reconciliasse DEO, 6) esse propitiationem pro peccatis nostris, 7) mortem Christi cum sacrificiis legalibus, tanquam figuris eam adumbrantibus, conferri. At omnes hae scripturae non probant, quod isti volunt, sed aliter sunt interpretandae. b) Deinde opinio ista vulgaris Scripturae s. repugnat; c) nec non sanae rationi; & d) illa ratio, qua isti opinionem suam stabilire conantur, quum aiunt, in DEO iustitiam ultimum & misericordiam esse naturalem; quum vero DEVS vellet, ut misericordiae ipsius & iustitiae simul satisfaceret, eum talem rationem inuenisse, ut Christus loco nostri mortem perferret, atque ita iustitiae a natura humana satisfaceret, a qua DEVS offensus fuerat, & simul misericordiae in condonandis peccatis locus esset; illa igitur ratio specie quidem plausibilis est, re ipsa tamen nec veri nec solidi quidquam habet, imo contradictione sese inuoluit (cf. num. 7.) (2) Sed praeterea ista vulgaris opinio est etiam admodum perniciofa.

Quomodo Sociniani conentur illorum oraculorum interpretationem, qua ecclesia nostra doctrinam suam demonstrat, infringere, aliamque ei opponere explicationem, aut potius detorsionem, deinceps videbimus, quum ex oraculis diuinis sententiam nostram deducturi sumus. Reliquae istorum obiectiones explicatius exponentur, atque ut confidimus, diluentur in Commentationis nostrae Sectione quarta.

Jam ad penitus perspicendam totam Systematis Socinianorum, quatenus hoc religionis caput, de quo agimus, respicit, concatenationem, cuius perspicua idea non solum ad confutandas eorum obiectiones necessaria, sed etiam ad probationem nostrae doctrinae theticam recte & ita, ut istis satisfacere possit, instituendam valde utilis est, adhuc pauca quaedam exponenda essent, quae Sociniani doceant tum de patefacta a Christo ratione, qua praeceptis promissisque ab ipso reuelatis conformari debeamus (cf. num. 14.) id est, fide in Jesum Christum, sub qua obedientiam filialem, quae in nostra potestate sua sit accedente auxi-

auxilio diuino, *comprehendunt*; tum de *iustificatione* per eam fidem obrinenda, tum denique de *munere Christi sacerdotali* (cf. num. 11.) quod cum *regio* ita arcte conueniunt, ut utrumque ex ipsorum opinione paene pro eodem habendum, & saltem ratione quadam cogitandi distinguendum sit, & de *expiatione peccatorum nostrorum*, quam Christus tanquam *sacerdos* NB. *in coelis* peragat, quae, ut isti opinantur, re vera nihil aliud sit, nisi *liberatio a seruitute peccatorum*, atque ita etiam *ab eorum poenis*; ad quam *expiationem* *perpersiones* & *ipsa mors Christi* tantummodo *via quaedam* & *praeparatio*, seu quaedam *eius inchoatio* fuerint, non autem *sacrificium ipsum expiatorium*.

Sed horum expositio dilucidior necessario, ne limites Programmatis praescriptos migremus, in aliam opportunitatem differenda est.

Vos autem, Ciues Carissimi, tribus adhuc verbis, sed tanto, quantum rei grauitas poscit, amoris affectu cohortamur atque obsecramus, ut, quoniam resurrectio Christi, cuius memoria sollempnis hoc festo celebranda est, hac potissimum ratione ingenti nobis solatio cedit, quod ea euentissimum argumentum praebet, Christum vadem humani generis morte sua cruenta poenas peccatorum nostrorum perfecte DEO persoluisse Rom. 4, 25. 8, 34. 1 Cor. 15, 17. 1 Petr. 3, 21. ut igitur Vos in hanc de satisfactione a Christo iustitiae diuinae praestita doctrinam recte intelligendam, eiusque veritatem ex ipsius DEI oraculis perspiciendam omni studio incumbatis, neque ab hac vera & solatiorum plena cognitione praestigiis & cauillationibus aduersariorum abduci Vos patiamini, atque ut, quod maximum est, Spiritus S. efficacitate *fidem viuam* in animis Vestris effici sinatis, qua Christum tanquam Vadem Vestrum amplectamini, & sic in communionem mortis & resurrectionis illius perduci spem certissimam laetissimamque concipiatis futurae resurrectionis Vestrae gloriosae, & vitae beatissimae in coelis cum Christo peragendae aeternumque fruendae.

P. P.




P. P.
BUETZOUH SUB SIGILLO ACAD.
IPSO PASCHATIS FESTO
CICIDCCLXXX.



33

LBMV Schwerin

000 749 974



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1831116987/phys_0021









voluntate *Christus pro peccatis nostris passus est, & mortem crucientam tanquam victima piacularis subiit.* Cuius diuini consilii ratio haec erat, primo, vt omnibus peccatoribus hac ratione remissionis peccatorum ipsiusque adeo *vitae aeternae ius certum fieret* (i. e. vt Sociniani intelligunt, tam certum firmum ea promissa sperandi fundamentum, quo niti ius fas sit) etiam *non dubia fides.* Rom. 8, 22. 5, 8. 9. 10. *Secundo omnes peccatores ad Christum traherentur in hoc & solum remissionem peccatorum quaerentes, qui pro ratione DEVS suam amorem immensum humanum mereretur, illudque sibi (non se illi, quomodo distinet) penitus reconciliaret* Joh. 3, 16. (2) *Christus & mors perferendae erant, quia seruandi iustitiae credentes, iisdem afflictionibus & morti eius obnoxii.* Quae causa sic explicanda est. *ne nos seruat; primum enim & certam spem facit, & vt salutis viam tum ingredi ea persistamus, nos mouet; deinde nobis in omni m, laborum & periculorum certamine adest, tandem ab ipsa aeterna morte liberat.* Ad vtramque quando nos rationem vehementer perimuit, vt nos in poster non aliter, quam per eiusmodi perpesionem ad vitam & gloriam aeternam penetraret. Ad persequendum, quod in ipso videamus, viae istius, quae ad ipsum exitum videbatur, adeo beatum esse exitum, vnde firmam alacritate Ducem nostrum sequuti viam hanc, in eaque persistamus, haud dubia spe, eundem manere exitum. 1 Petr. 2, 21. Hebr. 2, 10. Ad persequendum, quod ipsemet, quam graues & humanae naturae terribiles eiusmodi tentationes essent, in se ipso miseriarum ignarus, miseris succurrere didicerit. 18. 4, 15. 5, 8.

20) Secundo modo sanguis aut mors Christi nobis

